371

SUPREMO HONORI,

VIRI

NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, EXPERIENTISSIMIQVE

DOMINI JOANNIS CASIMIRI TAUBENHEIMII,

DOCTORIS MEDICI SENIORIS IN CIVITATE REGIA THORUNIENSI,

cum die XXI. Mart. Anno CIↃ IↃCC VII. placide in Domino obdormiisset, Corpusqve solenni ritu d. XXVII. ejusd. ipsa Dominica Oculi, efferretur

l. m. q.

dicare ac consecrare voluerunt,

RECTOR & PROFESSORES GYMNAS. THOR.

THORUNII,
Imprimebat Johannes Conradus Rügerus, Nobiliss. Senatûs & Gymnasii Typographus.

Epitaphium.

D. O. M. S.

Contegitur hic parvo tumulo
Vasti & magni animi habitaculum,
Augustæqve Virtutis angustum domicilium,
Corpus scilicet fragile
Exqvisiti medendi Artificis,
Domini
Joannis Casimiri Taubenheimii,
Doctoris Medici Senioris in Civitate Regia Thoruniensi,
In qvo multiplicis doctrinæ copia
cum vitæ sanctimonia certabat.
Patriam egressus,
In tribus Academiis
Lipsiensi, Regiomontana & Altorfina
Se perfecit adeo,
Ut triplici virtute Medici conspicuus esset,
Pietate, Doctrina & Felicitate,
Omne sic Trinum perfectum,
Ita consulebat & sibi & aliis,
Bonæ & diuturnæ vitæ spargens præceptiones,
Illas exemplo, has consilio.
Felici diligentia & diligenti felicitate & opera
multos Patriamqve sigillatim sibi devinciebat.
Omnem suam alienæ impendebat vitae,
Frangebat suas labore vires, ut in aliis vim frangeret morborum.
Trivit ætatem, ut adderet aliis,
Exsomnis ipse sæpius, ne ægri insomnes haberent noctes.
At, qvi toties levavit morti proximos,
tandem ipse succubuit.
Elusit remedia vis mortis crebrius elisa.
Oppressitqve toties fugata.
Diceres morborum victorem a morte jam victum,
Nisi victor per mortem evasisset,
Et remedia a morte Medicus petiisset,
Mortem ipsam,
Contra qvam dederat, medicinam expertus.
Adeo omnes artes miseriam mortalium produnt,
cum proficere debent, deficiunt.
Qvare moriens oculos, imminente Dominica Oculi, levabat
ad Medicum æternum & optimum,
cui erat in oculis,
et feliciter circa æqvinoctium claudebat,
nolebatqve uti amplius,
ut perfectius uteretur,
Et plenius videret nunqvam a se visum Servatorem.
Tu autem, Viator, qvi hæc legis,
disce,
nunqvam salubriora tibi remedia contra mortem esse,
qvam in ipsa morte,
& optimam esse scientiam spiritualem Opticam,
qvæ suos docet, oculis accurate uti,
dum claudunt. VALE!

Beatis Taubenheimii manibus exiguum hoc erigebat monumentum

M. P. Jænichius, R.

SI cui difficilem formam natura negavit,
Is genio facili damna recepta parat.
Æsopus formam deformem sponte gerebat,
Attamen insignes protulit ille dapes.
Nonne Plato pandis humeris latisqve cluebat
Humanæ mentis magnus in orbe DEus?
Parvus Aristoteles distortis cruribus ortus
Claruit in mundo dignus utroqve polo.
Parvus Alexander magnum devicerat orbem,
Victricemqve tulit semper ubiqve manum,
**THOMAM SCHWEICKERUM mirandæ sortis homellum*
Insignem pietas ingeniumqve dedit.
Qvod dextris alii tractant, peraguntqve sinistris
Ille pedum prompta perficiebat ope.
Qvin & litterulas pede tam bene scribere scivit,
Calligraphi ut faciles posset obire vices.
*Lumine ** SCOENBERGERUS erat privatus utroqve*
Sed qvem mons alto Regius ore probat.
Sæpe sub attrita latitat sapientia veste,
Sæpe sub immiti corpore vita latet.
Est alius, tortis qvi incedit rite capillis
Corporis & sani viribus usqve valet.
Est alius, crassi ventris qvi abdomine turget,
Et numerat multas prosperitatis opes.
Est alius, sano qvi semper pectore vivit,
Nec patitur sitim tartareamqve famem.
Est alius, faciem nitida qvi fronte coronat,
Ungendo crines ora colore notans.
Attamen hi pulchro gestant in corpore mores
Deformes, vivunt nec sine labe diem.
Ast noster DOCTOR depresso in corpore claram
Exegit vitam, laudibus atqve bonam.
Præbuit in parvo magnum virtutis honorem
Corpore, qvin summas fertilitatis opes.
Si nunc æthereâ frueretur luce Melampus,
Cumqve Machaonio viveret Empedocles.
Atqve iterum sacras Podalirius ederet herbas,
De tumulo Cous surgeret Hippocrates.
Dispeream, si non en! TAUBENHEIMIUS inter
Præcipuas partes posset habere locum.
Qvo non res Medicus scivit prudentior alter,
Nec Sophiæ fontes plenior ore bibit.
De pietate Viri non est ut plurima pangam,
Impius est, & erit, qvi neget esse pium,
Is calidis precibus varios amovit ab urbe
Casus, & nubes dispulit ille nigras.
Jam silet, & curis mundi morboqve solutus
Lætatur læta lætus in arce DEI.

Ne memoria Taubenheimiana periret, monumentum hoc mæst. p.

M. Martinus Böhm.

* Vid. J. G. Schenkii Historia Monstrorum p. 35. ubi crena pedibus prehensa has ἄχειρ pingit litteras: DEUS *mirabilis in operibus suis.* ** Conf. Biblisches Ehren-Gedächtnüß Hrn. Huldar. Schœnberg. Ph. & LL.AA.M. a J. G. Stempel. aufgerichtet. A. 1649.

Cic.

Cic. in Parad.

Mors terribilis iis, qvorum cum vita omnia extingvuntur.

TErribilis forsan Libitina videbitur illis,
Qvi sua se veluti cuncta perire putant;
Qvos nimiùm delectat inanis gloria mundi,
Atqve voluptatis prava cupido trahit:
Qvos onerant graviter sceleratæ crimina vitæ,
Indeqve post mortem pœna stupenda manet:
Qvos exangve piget corpus committere matri,
Ac animam Patri reddere ritè suo.
Qvi verò benè vixerunt, vitamqve perennem
Post mortem sperant conseqvi in axe poli:
His non terribilis, verum gratissima mors est,
Utpote qvæ cuncti finis in orbe mali,
Veræ principium vitæ, portusqve petendus
Fluctibus ex mundi, cum vocat ipse DEUS.
Hinc Medico nostro mors formidabilis esse
Non poterat solvi corpore ab hoc cupido.
Cujus erat bona pars vitæ meditatio mortis,
Corpus & infirmum mortis imago fere.
Qvi, veluti cuivis notum, bene vivere svevit,
Æternum blando Numen amore colens,
Cautiùs ægrotos lento medicamine curans,
Donec erant vires corporis ac animi;
His fractis, contra vim mortis, dixit, in herbis
Sicut & in Medicis, artis opisqve nihil;
A Christo, mortis qvi mors & pestis averni,
Auxilium veniet prosperitasqve mihi.
Sic animâ Domino commissâ lumina clausit
Inter Amicorum vota precesqve pias.
Jam fruitur cœlo vitâ longè meliori
Cum Patribus sanctis, Angelicisqve choris.
Omne, qvod in mundo misero fortuna negavit,
Jam capit in cœlis. O speciale lucrum!
O felix! qvi sic vivit, ne terreat ipsum
Mors, sed ei fiat grande aliqvando lucrum.

L. mq. Scr.

M. MARTINUS BERTLEFFIUS,
Prof. Publ. & Visit.